



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales**

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídkue is fugere,  
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

**Segneri, Paolo**

**Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.**

**VD18 90637054**

Discursus III. De conditionibus ad efficacem orationem requisitis. Si  
quandoque nullum ex oratione fructum referimus, id non aliunde, quàm à  
nobis ipsis provenit, vel culpa supplicantis, vel ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51667)

## DISCURSUS III.

De Conditionibus ad Orationis efficaciam requisitis.

**M**agnes chalybe notæ  
 melioris armatus eâ  
 virtute pollet, ut cla-  
 vum muro infixum  
 quandoque ingenti  
 vi ad se trahat: ille  
 tamen ipse rubiginoso munitus ferro  
 adedò debilis est, ut vix acum à terrâ  
 atcollat. Eadem profus est Orationis  
 conditio: ipsa convenientibus sibi præ-  
 dita conditionibus, omnia potest effi-  
 cere; his verò destituta, omnino parùm  
 valet. Non tamen ideo, quòd vos petatis,  
 & nihil obtineatis, ejus precium  
 minoris est aestimandum. Vestrà id culpâ  
 accidit. *Non accipitis, eò quod malè  
 petatis.* Inquit Dominus ore S. Jacobi  
 Apostoli, rubiginosum cor vestrum  
 omnem Orationi à vobis oblatae vim  
 aufert, adeoque enervat, ut tandem in-  
 sitam sibi attrahendi naturam planè  
 deperdat. Quare necesse est, mo-  
 dum bene orandi addiscatis, ut preces  
 vestrae eo, quod ritè ad Deum suscipi  
 habeant, valeant precio & robore; id  
 est, ut ita dicam, ipsum vinciant Om-  
 nipotentem.

II. Deus adedò ad nobis benefacien-  
 dum propendet, ut aptissimè à S. Ba-  
 silio de Seleucia feminæ parturien-  
 ti comparatur, quæ non solum liben-  
 tissimè ventris sui fructum in lucem  
 proferit, sed angitur, & dolere usque  
 & P. Segneri *Christ. Instr. Tom. III.*

dum illum enixa fuerit. Quare si pre-  
 cibus nostris locus non detur, id Deo  
 nunquam attribui potest; necesse est,  
 ut à nobis proveniat ipsis, ex uno tri-  
 um horum capitum nunc à me expli-  
 candorum. Aut orantis, aut oratio-  
 nis, aut modi orandi culpâ & de-  
 fectu.

III. Primò quidem id provenit  
 culpâ supplicantis. Cæpit reus, e-  
 tiam inter mortales, antequam pro ob-  
 tinendâ Principis gratiâ supplicem  
 porrigat libellum, læsæ debet satisfacere  
 justitiæ. Hinc miser ille, qui à Ti-  
 berio Imperatore ad finiendas carceris  
 sui molestias aliud præter mortem  
 non petijt, pro responso accepit: *non-  
 dum mecum in gratiam rediisti* Quod-  
 si ergo non est permissum delinquen-  
 ti, antequam in Domini sui aliquam  
 recipiatur gratiam, coram illo compa-  
 rere, & ne quidem ut mori liceat ora-  
 re; quomodo licebit peccatori actuali.  
 Divinæ Majestatis læsæ reo, in conspe-  
 ctu Principis Omnipotentis compa-  
 rere, & ab eodem vitam, & æternam  
 quidem, rogare, priusquam ipsimet  
 tam tremendæ Majestati aliquo us-  
 que satisfecerit, quam hætenus vili-  
 pendere non cessavit? Sed advertite  
 rem miram! est non nemo in pa-  
 triâ suâ, qui ad sedandam carnalis  
 concupiscentiæ rabiem sibi prædo-

E

mi

minantem, nec arati, nec statui, nec fe-  
xui, neq; illibato Virginitatis flori par-  
cit; imò quâ est protervia, quem nec  
proprio maculam afferre sanguini pu-  
det, quique instar lupi, stragi, quam fa-  
melicæ ejus possint deglutire fauces,  
semper major: inhiantis, quod denti-  
bus non valet discerpere, insatiabili o-  
sulo desiderioque devorat. Alius est,  
qui uluris, exaggerato pretio, menda-  
cijs, perjurijs, imposturis omnem pau-  
peribus substantiam exprimit, & tan-  
quam lapidum jactatione, ac baculi  
ministerio decidere cogit lucri fructus,  
quos solius ope manûs ab arbore colli-  
gere non potest. Erit alius, qui totos  
dies æstuans irâ, nomen Dei blasphe-  
mat, imò quandoque, tantum ut alijs  
animosus videatur, mille injurijs ran-  
sum Nomen, absque ullâ mentis effere-  
vescentis commotione, proscindit, &  
sine ullius in cælo Sancti respectu,  
tam domi, quàm foris, majori, quàm  
Diabolus ipse, si & ipse linguæ orga-  
no instructus esset, vocis infaniâ de-  
beccatur. Nihilominus omnes istius  
similisque ferinæ homines vadunt ad  
Ecclesiam: Sed quo fine? ut ibi suas  
persolvant preces, id est, supplicem ne-  
cessitatum suarum libellum porrigant  
Altissimo. Sed quæso vos, paulò len-  
tius festinate: An prius ob tam enormia  
scelera Principi vestro reconciliati es-  
tis? num sacrâ exomologesi pecca-  
ta vestra expiastis? num propter ea-  
dem in corde vestro compuncti estis?  
an saltem perperam admissorum ven-  
niam petiistis? nihil minus. Itur e-  
nim ad Ecclesiam, ut amatorijs oculis  
alienæ formæ delibentur; vel ut ipse

adiens oculorum ejusmodi objectura  
sit; eo loco peccata multiplicando,  
ubi calidissimis lacrymis forent de-  
flenda. Deinde tamen querimini,  
Deum vobis suas obturare aures?  
Cor vestrum tali rubigine oblitum  
est, ut omnem orationi vim & vir-  
tutem auferat. *Nos inique egi-  
mus & ad iracundiam provocavimus,* *Thro.*  
*idcirco tu inexorabilis es.* Divinam  
prius Justiciam placare oportet; aliqua  
eidem satisfacere poenitentia, deinde  
Misericordiam invocare. Antoninus  
Imperator, ut solus regni teneret ha-  
benas, Getam fratrem suum, optimum  
Principem, & quidem in Matris ipsi-  
usmet sinu, occidit. Quod si postea  
novus ille Cainus, rubentibus ad-  
huc sanguine fraterno manibus, ali-  
quod aliud donum, aut gratiam pe-  
turus, rursus se Matris etiam num-  
lugentis conspectui obtulisset, credi-  
tisne aliquid ab eâ obtenturum fuisse?  
& tamen crudius cum Deo se gerunt  
peccatores, dum manibus Divino illo,  
ad mundationem nostram effuso,  
Sanguine adhuc inquinati, æterni Pa-  
tris tribunali non verentur se sistere,  
ejusque gratiam & auxilium implo-  
rant, non recordantes apertissimæ ejus  
per Prophetam Isaiam factæ protesta-  
tionis; à se, quantumcunque vocife-  
rentur, in tali statu non exaudiendos.  
*Cum multiplicaveritis orationem, non  
exaudiam, manus enim vestrae sanguine  
plene sunt.* Ah crudeles! saltem prius  
lavate manus, antequam DEI con-  
spectui vos sistatis. Id consilium  
vobis dat pro tempore tali Apostolus,  
dicendo, *vola vos orare in omni loco,* *1. Tim.*  
*levan. 2. b.*

levantis puras manus. Si secus feceritis, ipsa vestra oratio contra vos clamabit. Quotidianâ docemini experientia, hominem scerente halitu vos alloquentem, non solum ingratum esse, sed talem etiam parere nauseam, ut quævis hora, donec discedat, mille vobis videantur anni. Jam judicare vos ipsi, quâ cum nauseâ Deus se in oratione alloquentes auscultare debeat Blasphemos illos, illos maledicos, illos nequam, perjuros illos, qui putrefactâ intus animâ omni momento horrendum expirant halitum, infernali non absimilem mephiti.

*Judith. Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Hoc idem est ac irati Elephantis se offerre conspectui, & quidem vestibis inducum tubris.*

IV. Verum ut non puteris his dictis omne me vobis velle præcludere refugium, indignis etiam à Divina Misericordiâ apertum, oportebit peccatores in duas distinguere classes. Prima est illorum, qui aut actualiter peccant, aut actualiter adhuc affectum ad peccata sua retinent. Secunda Classis est eorum, qui commissorum memoriam peccatorum aut aboleverunt, aut nunquam in eadem relabi firmissimè statuerunt. Primi illi actu ipso Dei amicitiam contemptui habentes, exaudiri omnino non merentur; atque de his præcipuè, quæ hucusque dixi, intelligi debent; imò quod diu ante in personâ similium expressit David, dicendo, *iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus,*

quasi diceret, ut explicat Bellarminus: quòd si adhuc peccatum in intimo corde meo benevolo dignor intuitu, si probo, si amo, si licet foris non demonstrem, voluntatem rursus committendi habeo, quomodo orationem meam exaudiendam sperabo? *non exaudiet Dominus.* Quia non solum Dei inimicus sum, sed insuper me esse gaudeo. Hujusmodi non sunt peccatores alij, qui quidem mali sunt, sed volunt desistere esse mali, fierique boni desiderant. His sicut obinere non est negatum, sic necrogare prohibitum est; quemadmodum, neque Paralyticus ille, nec Publicanus, nec famosus Rex Manasses repulsam passifuerunt: imò ipsos ut precibus suis importuni essent, Christus adhortatus est, quæ importunitas amicitiae defectum supplet, eamque quasi superat, ut opportunè notavit S. Joannes Chrysostomus, quando dixit. *Non tam valet amicitia apud Deum, quam oratio, & quod amicitia non perfecit, id perfectum est ab oratione.* Ratio dictorum est hæc; quia virtus orationis non fundatur in personæ orantis merito, sed in bonitate Dei, in ejus verbis & promissionibus; cui peccatoris indignitas, adveniens intra se peccatum, sed non sibi de eo complacens, sufficienti non potest esse obstaculo, Unde quamvis conscientia tam tranquilla sit, ut nihil eam remordeat, summo opere tamen conducit, qualemcunque occultam ex animo eradicare superbiam, ut tales, quales esse debemus, facilius à Deo exaudiamur. Imò vicissimè profiteri verbis debemus, *vacillans omnem*

*S. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 16.*  
*Homo. 56. de Divers*



omnem in eo nos fiduciam collocare.  
*Dan. 9. 18.* *Inclina aurem meam Deus meus & audi, dicebat ad Deum Daniel, neque enim in justificationibus nostris prosperimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Atque ita nobis dicendum est, qui tantò magis DEO confidimus, quantò magis nobis ipsis diffidimus.*

## II.

V. Verùm hic non est solus Orationis defectus. Id quod tanto cum ardore flagitabat David, fuit, ut oratio sua esset recta. *Dirigatur oratio mea:* in hoc enim præcipuè orationis exaudiendæ sira est difficultas: non tantùm in vitio supplicantis, sed mala etiam supplicationis qualitate; quod erat secundum punctum à me supra indicatum. Preces nostræ ut plurimum à recto rationis tramite deviant; res à Deo flagitamus malas, aut saltem in malum tendentes. Alexander Magnus, pro magna, quam de Philosopho Diogene conceperat, æstimatione, eundem amicè rogavit, gratiam quandam à se peteret. Qualem putatis hunc Philosophum stantem tunc & ad Solis radios se calefacientem, petiisse gratiam? petiit sat inciviler, recederet Alexander, nec sibi tantum umbræ faceret. Ecce quò sæpe Christianorum etiam colliment preces; cum non ignorent, velle Deum mirabili liberalitatis excessu, cunctos liberè omne à se bonum flagitare, *petite Job. 21. 14.* *& accipietis, petunt, ut à se recedat Deus. Dixervunt Deo, recede à nobis, ne sibi, Majestatis suæ magnitudine*

umbram facias, suo se vivere modo permittat, bona corporis gaudere valetudine, etsi eadem in perniciem animæ abutantur, illam in Judicio lucrari causam, discescere, omnibus præeminere, pingue aliquod obtinere Ecclesiæ Beneficium, licet temporalis hujus fortunæ fulgor ad aliud non proficit, quàm ad nostra, corde vilissimo miseræ hujus terræ amore magis magisque excæcanda. O quàm inepta est hæc oratio! non est illa suave thymiana rectà cælum petens; foetida pix est, cujus non tam ardere quàm inficere proprium est. Non dico, non posse nos plurima etiam terræ bona laudabiliter à Deo petere, sanctitatem, bona fortunæ, lautiora numerosæ familiæ sustentandæ media; sed dico, prius bona spiritualia, quàm illa à Deo postulanda esse; ut poro solum originis nostræ nobilitati proportionata, hoc est sacro Baptismati, è cujus undis felicius, quàm ex cineribus suis ullus phoenix, renascimur. Denique dico; illa bona hac non tantùm implicita conditione, sed etiam, quantum possibile est, expressè peti debere: si nimirum Deus noverit nostræ animæ illa profutura. Magna aliàs ipsi orationi fiet injuria, arma nobis pro salute nostra à DEO tam potentia subministrata, in nos ipsos vertentibus.

VI. Sed quid diceretis, si hæc ipsa contra Deum verteremus arma? Magnus ille Gonsalvus, ob præclaras virtutes & recuperatum Neapolitanum Regibus Arragoniæ Regnum, Magnus Belli Dux vocatus, dicere solebat,

nullâ se magis victoris gloriari, quàm nunquam se contra Regem suum gladio usum. Nescio quot Christiani; hanc sibi laudem possint vendicare; si enim oratio gladius est, quot non videre est, qui eo contra ipsosmet Deum uruntur? quid enim Sicarij, qui res sacratissimas secum gestant, ut eo securius sua parrent atrocinita? quid furiosi illi, qui cum non possint inimico damnum inferre, Deum rogant, ut illum pro se puniat, igne cœlesti comburat, aut in imam demergat abyssum? quid adulteræ illæ, quæ non petunt à Deo, ut domestico sibi blandiente liberentur Dæmonio, sed ne Diabolus ille nocturnus à Zelosis maritis deprehendatur? quid dico, an non tales Orationem suam in Deum vertere videntur, peteréque, ut se patienter ab illis percuti, flagellari & in ipsam agi Crucem permittat? Legati Atheniensium à Philippo Macedonum Rege, licet illos à se alienos noster, summâ cum amicitia testificatione accepti fuere. His jam ad abitum accinctis quodam benevolentia excelsu significavit, num quid adhuc aliud à se peterent? cum ecce eorum unus accedens propius, nescio magis ne insolenti, an inhumanâ libertate respondit: omnino, *voluntus ut se suspendas.* Perpendite, an non id ipsum postulent illi, qui Deum in continuandis sceleribus suis sibi volunt esse beneficium? Deum rogant, ut sui ipse sit Carnifex; ut si non ad propriam interfectionem, quæ in eum non cedit, ad inferendas saltem ipsimet injurias & opprobria, auxiliares præbeat ma-

nus. At quæ est hæc Orationis species? Non permittunt Imperatores hujus Seculi, ut quidquam vel fisco nocivum, vel Legibus contrarium à se petatur. *Nec damnosa fisco, nec juri contraria postulare oportet.* Considerate ergo: an tam vesanam precandirationem Imperator cœlestis admitturus sit? fieri potest, ut quandoque, sed in porrigentis subscribat perniciem, concedatque iratus, ut loquitur S. Augustinus, quod negaret placatus. Sed quod tunc in eum feratur amore, nolite imaginari. Audite enim veritati consentanea loquar? & ne in bonis incertis petendis, majori contentione laboretis, exemplum accipite.

VII. Puella quædam nubilis, ob vitam, quam ducebat solitariam, meruit audire ad feliciores se cum Christo celebrandas vocari nuptias; quare cum deliberatum haberet, perpetuam Deo Virginitatem consecrare, jam de strictioris cujusdam Monasterij ingressu agitabat. Sed sicut diruptâ sepe facillè etiam suos vinea perdit fructus, accidit, ut & hæc puella assueram interea temporis relinquens solitudinem, etiam fructuosas suas perdiderit cogitationes. Incepit tum aliquantisper stare ad fenestras, inde paulatim liberius prospicere; deinde etiam spectandam se exhibere, recipere literas, responsa reddere; unde quantopere Sponsum antea desiderabat cœlestem, tantopere postea anhelabat terrestrem; qui erat juvenis nobilis, illi acceptissimus. Intellexerat fortè ex alijs sui sexus,

quæcunque Sanctam Catharinam assiduis precibus, veneraretur illam per ejus intercessionem, sponsum, quem optaret, obtinere posse; quare huic cultui quamprimum applicat animum, tantæque continuarum precum importunitate Divam interpellat, quasi suarum nuptialium eam tædarum mediatricem esse cogere veller. Præsertim verò in Sanctæ hujus Virginis pervigilio, vigesimo quarto Novembris, validissimo precum ardentiissimarum assultu sacras ejusdem fores impetivit. Verùm ingemiscente illà coram marmoreâ invictissimæ Martyris icunculâ, ecce, statua se ipsâ, absque ullo impulsu, in terram labitur, simulque collo capitæque truncatur. Signo hoc sensibili volebat Sancta admonere Virginem Nobilem, matrimonialem ei statum minimè profuturum. Verùm tantum non effecit signum istud, ut ad saniores redierit mentem inops consilij filia; adeò subinde cerebrum feminæ, ad instar argenti vivi alioquin instabile, semel capto inhæret consilio: quid porro? tam perseveranter precibus insistit, ut tandem desideratâ gratiâ, sed suo damno potita sit. Quare initis matrimonij patris, nuptiisque ritu solenni celebratis, dum sub occasum Solis splendido cognatarum matronarum comitatu in domum sponsi deducitur, ecce tibi, descendens è nuptiali curru, pedem, ne scitur quid id factum, in solam impingit, collum cervicemque frangit, eâ formâ omnino, quâ non ita pridem Divæ statuam truncatam viderat,

sicque in limine domus præ sacro sibi cœnobio electæ, cujus ne possessionem quidem adhuc ceperat, infelicem exhalavit animam. An non videtis verum esse, Deum concedere iratum, quod placatus negaret? quales ergo creditis has esse coram illo supplicationes? Supplicationes scilicet plus mali, quàm boni post se trahentes.

VIII. Quare impofterum amicum Prophetæ vos sequi velim consilium. *Exquisivi Dominum & exaudivit me!* à Deo ipsummet Deum poscite, salutem animæ, peccatorum vestrorum veniam, tentationum victoriam, vitiôrû detestationem, amorem virtutum, & in hoc non errabitis: res verò petituri temporales; semper illa cum limitatione petite; si Deo placuerit. Verbo, sic Deum orate, inquit Sanctus Augustinus quasi homines in tali actu in fundo cordis vestri intrentur, audirentque, quò singulæ vestras preces colliment. Quâno pudore suffunderetur femina orans, ne infame suum commercium erumpat in lucem, si talis petitio clam audiretur à marito? quantum orationis suæ pederet nulum illam, mortem socri suæ imprecantem, & socrum illam eodem malo nulum suam devotentem, quam nunquam aspicit, quin secum miffiret, tot & tanta adolescentularum in Mundo audimus funera; nunquàmne ista quoque, quæ post me domum meam intravit, libitina fiet victima? hæccinè solatori meæ dominabitur familiæ? Certum est, neminem alta voce talia aulurum petere.

AD ORATIONIS EFFICACIAM REQUISITIS.

vere. Sed editice; an non pejus est  
salia à Deo, quam ab hominibus au-  
diti vota?

IX. Accedit: Deum ipsum solere  
ijs, qui primò & præ omnibus anima-  
rum suarum quærent salutem, inferiori-  
bus etiam ordinis, quæ desiderant, bo-  
na elargiri. Quia Salomon non lon-  
gam vitam, non divitias, nec hono-  
res, nec suorum inimicorum interi-  
um, sed solam sapientiam petivit, ideo  
tantum Deo placuit, ut non petiram  
solum sapientiam, sed insuper vitam,  
divitias, honores, continuamque pa-  
cis tranquillitatem, cum illis omnibus  
bonis, quæ felicem in hoc Mundo pos-  
sunt reddere Principem, illi concesserit,  
eodumque, ut ipse solus omnes Reges  
antecessores suos nominis gloriâ &  
splendore superârit. Ita & vobiscum  
proportione sua ager Deus, si unice e-  
jus amorem & timorem quæseritis.  
Hæc Divina Sapientia velut Sponsa  
Regia pro dote omnia alia caduca in  
domum vestram bona adferet; bona  
tamen pro vobis vera, hoc est, quæ  
non sub specioso cortice, velut po-  
mum Adami, occulum continent  
venenum. *Inquirentes autem Domi-  
num, non minuentur omni bono.*

III.

X. Verum est, ea, quæ hucusque di-  
cta sunt, ad preces nostras re ipsâ effi-  
caces reddendas, non satis esse: ul-  
tra debitam supplicantis & supplica-  
tionis habitudinem deæ insuper con-  
ditiones ad modum supplicandi per-  
tinentes, requiruntur, quæ sunt, fides,  
& perseverantia; quibus, si Oratio  
nostra, velut quondam Regina Esthes

duabus puellis nobilibus, innixa fue-  
rit; quidquid desideraverit, impetra-  
bit. Quare ultimum ex tribus mihi  
propositis punctum exponere aggre-  
dior. Prima igitur conditio ad bene-  
orandum, in omni casu maximè ne-  
cessaria, est fides; ideo pluribus, quid ea  
sit, explicare oportebit. *Omnia quæ  
cunque petieritis in oratione, credentes  
accipietis.* Ergo omnipotens illa fides,  
de quâ hic sermo est, partim intelle-  
ctum, partim voluntatem respicit.  
Quoad intellectum, fides hæc firmes  
credere debet; promississe Deum se nos  
exauditurum; ideoque si Oratio no-  
stra requisitis ab illo qualitatibus in-  
structa fuerit, absque omni dubio pro-  
missa sua adimpleturum: fidelissimus  
est enim Deus, nec mentiendo se ipsum  
negare potest. *Fidelis est & seipsum ne-  
gare non potest.* Quoad voluntatem  
verò, fides illa vocabulo magis pro-  
prio fiducia nominatur, estque firma,  
fortis & inconcussa spes omnem ani-  
mi trepidationem excludens, & timo-  
rem spei, virtuti Theologicæ opposi-  
tum, quæ ne dubitat quidem unquam,  
an sit exaudienda. *In te speravi, non  
confundar in æternum.* Talis ergo a-  
nima, hac fide fundata in Dei promil-  
sis, & amore Dei imbuta, infallibiliter  
se exaudiendam credit, quoties cun-  
que, ut dictum est, aut ex parte  
orantis, aut ex parte rerum pe-  
tendarum nullus ponitur obex. O  
felicissimum cor illud, quod quantum  
est sinapis granum, tantillum in se fi-  
dei conclusit! quia, ut inquit Chri-  
stus, tantillum etiam ad transferendos  
montes

Matth. 21. 22.

2. Tim. 2.

Ps. 30.



montes & in profundum maris præcipitandos sufficeret. Gloriabatur Archimedes, si modò unicum pedem extra Mundi spheram ponere posset, sperare se unico impulsu totam hancce machinam loco morurum. Jactantia hæc fuit enormis. At verò illa fides, de qua loquor, animam supra se ipsam elevatam, in quo Omnipotentis sinu collocatam tantis roborat viribus, ut non solum terram, sed etiam caelorum orbem situm mutare cogat; nec solum invertis naturæ leges, sed Dei, ut ita dicam, decreta immutat, apud quem tamen non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *Omnia possibilia sunt credenti*, inquit Christus, *omnia, omnia*, nec ullus hujus potentis admittitur terminus. Hanc ergo fidem ad eam vivam, omni quâ licet animi contentione concipere oportet, quoties rationabilia vestra Deo offertis desideria, considerantes cum Divo Augustino, si Deus nos exaudire noluisse, exaudire non promisisset, nec unquam ad orandum adhortatus fuisset: multò minus præcepisset, si precantibus aures suas obrurare voluisset. *Nos non hortaretur, ut peteremus, nisi dare vellet.* Quod si quandoque tanta in finem se non invocantium immittit bona, quantam & quam coagitatam bonorum mensuram effundet in sinus eorum, inquit S. Chrysostomus, qui vix aliud agunt quàm supplices & continuas offerre Deo preces?

*Matth. 9. 22.* *credenti, inquit Christus, omnia, omnia, nec ullus hujus potentis admittitur terminus. Hanc ergo fidem ad eam vivam, omni quâ licet animi contentione concipere oportet, quoties rationabilia vestra Deo offertis desideria, considerantes cum Divo Augustino, si Deus nos exaudire noluisse, exaudire non promisisset, nec unquam ad orandum adhortatus fuisset: multò minus præcepisset, si precantibus aures suas obrurare voluisset. Nos non hortaretur, ut peteremus, nisi dare vellet.*

*De verb. Dom. Serm. 5. §. 29.* *Quod si quandoque tanta in finem se non invocantium immittit bona, quantam & quam coagitatam bonorum mensuram effundet in sinus eorum, inquit S. Chrysostomus, qui vix aliud agunt quàm supplices & continuas offerre Deo preces?*

*Hom. 68. de divers.* XI. Atque hæc postrema Sancti jam nominati verba ad alteram bene orandi requisitam conditionem me-

deducunt, id est, perseverantiam, quantum est momenti, ut in ipsâ solâ Sanctus Hilarius omnem reponat orandi efficaciam. *Obtinere, in sola precum mora est.* Quid judicaretis de infirmo primâ medici visitatione non curato, an non amplius medicam ejus opem implorabit? Sic tamen Christianorum per multi se gerunt; qui ubi quamprimum desiderata non impetrant, non tantum nauseam concipiunt, verum etiam iniquas in Deum querelas effutunt. Observate obsecro, quàm infirmum triginta annorum spacio exercueris patientiam languidus ille ad piscinam Hierosolymitanam decumbens, qui licet nunquam toto illo tempore commotam aquam primus intrandi gratiam habuerit, & sanitatem recuperandi, nihilominus (pergit S. Joannes Chrysostomus) nunquam ab hujus salutaris lavacri littore discessit, neque animum despondit, donec illi Christus in præmium indefessæ constantis patientiam reddidit.

XII. Poterit esse, fortè vestrum aliquem pravæ cujusdam consuetudinis veserno languentem, sæpius Dei Sanctissimæque Matris pro eâ desiderandâ implorasse opem. Quid postea? ideòque advertens preces suas nondum exauditas, jam ab iisdem contrinuantis animum revocabit? Non ita, Charissimi, nolite unquam ab Operatione desistere; sed quotidie serventiùs instate & clamate, quemadmodum naturæ sæpius contrariis maribus fluctibus à portu repulsi, resumptis viribus & vocibus navim ad desideratum

rum litus propellant. *In te speraverunt patres nostri, speraverunt & liberasti eos.* Non sufficit semel tantum sperare se liberandum, iterum iterumque sperare oportet. Postquam DEUS Isaac promisit prolem, non illam dedit, inquit S. Joannes Chryostomus, nisi post continuatam viginti annorum obsecrationem, id est, à quadragesimo usque ad sexagesimum ætatis annum: & vos vultis DEUM supplicationes vestras vix dum lectas expedire, vestrisque libellis supplicibus ad illum directis, quasi ad famulum aliquem exaratis, audetis addere *cito, cito.* Non sic cum terræ Principibus agitur: quando decentius cum Rege cælesti agere oportebit? *Obtinere, in sola precum mora est.* Perfitite ergo; vincet, quicumque perseveraverit. Leopardus omnes bestias cursûs velocitate superat: quia verò eas persequi facile & cito debuit, perdendo semel vestigia, illas non assequitur. *Oportet semper orare & non deficere.*

XIII. Sed ob quem finem, inquires, si Deus exaudire vult, gratias suas tam diu differt? Myrrha spontaneo ab arbore manans, stillicidio æquè accepta est, quàm quæ multo exprimitur labore: *Qui cito dat, bis dat: Qui tardius dat, minuit beneficium, ostendit enim invitum se dare.* Videmini mihi nimium velle sapere. Quare conabor vobis satisfacere, ut omni affectu orationem non fatigati prosequamini. In quem finem quandoque supplicationes nostras suspendit Deus? ob duos fines. Primò propter seipsum, secundò, *P. Sequari S. J. Christ. Infr. Tom. III.*

quò, nostri gratiâ. Quo ad se: quare mater aliqua tam strictâ manu tenet bellaria, nec statim dilecto suo porrigit filiolo, licet toties & tam amabiliter petita? Hanc ipsam ob causam, quia amat illum. Gaudet nimirum mater mille sibi modis filiolum blandiri, conarique pugnum innocuis suis manibus aperire. Hunc ad modum facit DEUS. Vider vos orando gratissimum sibi fidei præstare obsequium, pulcherrimos fiducia, amoris, humilitatis, obedientiæ, religionis exercere actus. His quia delectatur, diutius pugnum tener costrictum, eundem post aliquod temporis intervalum ampliori cum benedictione supra vos explicaturus. *Aperis manum tuam & implebis omne animal benedictione.* Si cæcus aliquis voce raurâ & inconcinna ante fores domûs vestræ perstrepat, quàm citissimè datâ elemosynâ talens amandatis, ne ita continuando vobis cerebrum obrundat. Si verò cæcus sonoram habeat vocem, eamque musicis modulis inflectat, per aliquod temporis spacium aures illi datis, deinde largiori donatum stipe dimittitis. Quare ex toto corde coram DEO preces vestras effundite, nec ulla vobis de ejus bonitate dubitandi anxietas relinquatur. Sic enim divinis ejus promissionibus confidentes, debito Deum honore afficietis. *Invoca me & honorificabis me.* Ipse verò denique instar fluminis, eò majore aquarum vi ruentis, quia impediti diutius, animos vestros sua liberali beneficentiâ inundabit.

XIV. Alterum quod habet Deus motivum, gratiam à se petitam differendi, est, ut spiritum in Oratione nostra magis inflamet: plus enim, apparense illa repulsa, desideria nostra accendit, quàm ullus faber aspersam per repetitas vices gelidam carbonem facit ignescere. Observate quæso, quomodo feminæ, sexus aliquin devotus, suas persolvant preces. Accedit una aliqua templum parvum in brachijs generis filiolium; hunc nunc tenerimè amplexatur, nunc vult sedere, mox saltitare, nunc risu blandiri; mox coronam suam tenculis inferit manibus; interea tamen cum alijs precatorios annumerat globulos, nec meminit, se potius aliorum turbare preces, quàm comitari. Et talem nihilominus Orationem statim exaudiri velletis? Omnino necesse est hic executionem suspendere, donec cor in precando tam frigidum prius inflametur. Absque igne thymiana non exhalat odorem, nec sine fervore gratia est Deo Oratio. At hæc impetrationis dilatio, spiritus auget ardorem, efficitque, ut, quod consequens est, amplius Deo placeat, adeoque abundantius optatis potiatur. Quo bellicum tormentum longius est, eò vehementiore impetu quatit murum. Sed unde hoc? Quia toti pulveri, pyriæ illi machinæ incluso, ignescendi tempus sufficiens relinquitur. Quare si vota vestra quandoque Deus tardet secundare, nolite amplius queri, imò ex toto corde vestro gratias illi agite, quòd hac temporis procrastinatione vos ad ejus dona dignè recipienda dif-

ponit. Potius hæc dilatio ad ferventiùs orandum vos instigare debet, suavesq; creandas molestias, ut ea, quæ prius ex amore negavit, vi, ut ira dicam, coactus concedat. *Orationi insate.* Ex. *Cóloss.* 4. perientia ducit corvos aliquos inter domesticos parietes educatos, cum ex vase, ob nimiam ejus profunditatem, aquam haurire non possent, collectos hinc inde lapillos injecisse, donec aqua ascenderet; adeoque sic potius liquore suaviùs sitim suam extinxisse. Ecce modum, quidlibet, offensasque quasi à longè in sinu divinæ Misericordiæ gratias obtinendi: desideria vestra coacervate, tot tantasque preces, submissiones, deprecationes in fontis hujus sinum comportate, ut denique desiderata consolationis aqua sursum ascendat. *Servat tibi Deus* (inquit S. Augustinus) *quod non vult cito dare, ut tu discas magna magnè desiderare.* *Serm. 5. de Verb. Dom. lcc. Marth.*

XV. O felices nos, si tali modo ad Deum recurreremus, ut neque ex parte orantis, neque ex parte Orationis ipsius, neque ex parte methodi orandi ullus poneretur obex! jam pridem totam hujus terræ superficiem liberalitate suâ Deus inundasset; imò cellissimos etiam montes, plusquam olim aquæ diluvij, ad mundum submergendum delapsæ, Divinorum donorum imbres superarent. Nos ipsi beneficas cæli catartas manibus nostris obscuramus, aut quia planè non petimus, aut quia vera bona non petimus, aut quis non bene petimus. Quando simul omnes in templo ad recitandam Sanctissimæ Virginis Mariæ coronam convenitis, quomodo

modo possibile esset, eâ qua decet devotione unanimiter orantes quasvis à tam piâ Matre gratias non obtinere? Verè dixit Dominus, duos solos ejusdem mentis & intentionis, sufficientes esse ad omne è caelo bonum in terras attrahendum. Tantum unanimis potest Oratio. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in caelis est.* Et putatis non sufficere tot, & tantos, quor quovis festo die hic congregatos video? haud quamquam sanè. Ibi quidam oscitat, alius cum altero musitat, alius colloquitur, alius dormitat, alius Altari obvertit tergum, alij, dum breves illas & ordinarias persolvunt preces, illis, qui in stadio pro bravo currunt, velociùs deproperant; & tamen agrè fectis, Deum precibus vestris non annuere? Vos ipsi in culpa estis, Deus enim ex parte sua ad dandum promptior est, quam vos ad recipiendum; & ubi gratiam aliquam obtinueris, non vestris condescendendo suspirijs ad vos accedit Deus; sed vos ad favores ejus recipiendos dispositi ad illum acceditis; ut solet versus littus naviganti accidere, qui, quamvis illud versus se venire existimet, valde decipitur; non enim ad illum fluminis ripa, sed ipse accedit ad ripam.

XVI. Quare semper Dei opem implorate. *Si a sorte propositiois & orationis Altissimi DEI,* inquit Spiritus Sanctus. O qualis illa fors, Charissimi, hîc nobis proposita! Possè creaturas aded viles, quales nos sumus, agere cum Deo Altissimo, omni-

que hora promptissimum habere accessum? Pro impetrando apud Principem aliquem accessu quantæ requiruntur intercessionis, amici & favores? Quoties absque ullo fructu itur & reditur; obtentâ tandem alloquij gratiâ, quanto tempore in proccetone expectare oportet? Deus verò ubique locorum, omnique tempore nostras acceptat supplicatiões, imò, quod amplius est, ille ipse ad illas sibi porrigendas adhortatur & instigar. *Usque modo non potestis quicquam. Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Quare, *si a sorte propositiois & Orationis Altissimi Dei.* Potestne pro anima major inveniri felicitas, quam vitam hîc in terris illi, quam supra in caelis agunt Beati, similem inchoare, aded familiariter cum Deo tractando? Ideoque hanc exercere nunquam intermittite, quantum quidem potestis, continuis vota vestra precibus ingeminantes. Manè de lecto surgentes, ad eumque de nocte redeuntes, Orationis nolite oblivisci; domo exeuntes, Templumque intrantes semper comitetur oratio; in medijs etiam laboribus nunquam desit Oratio: ante omnia verò tempore, quo incruenta Deo litatur hostia, quo copiosior Dei descendit miserentis gratia, maximâ cum fiducia, invictâque perseverantiâ, preces & corda vestra effundite, ut inclinatas Dei semper habeatis aures; nec deficite, donec vos exauditos esse sentiatis.

XVII. *State in sorte propositiois, & Orationis altissimi Dei.* Flammam

excussurus è silice, non uno solo contentus est icu, sed tam diu lapide chalybem percutis, donec flamma erumpat. Ita & vos in casu vestro facite, Quod si in pessima illa vicij consuetudine, si in lusu illo, his in usuris, in qualicunq; denique scelere obduruistis, non unicâ tantùm vice ad DEUM obsecrationibus vestris recurrere, sed tam diu instate, donec miseriâ vestrâ commotus, ex ipsa vestra duritie ignem excutiat. Verum quidem est, omnem Dæmones moturos lapidera, ut ab hoc recurſu deflectamus, non ignorantes, ut affirmat S. Abbas

*Apud Agatho, nihil tan opere suis obſistere*  
*Rosv. conatibus, quàm Orationem. Scien-*  
*in vit. tes quod nullâ re impediuntur, nisi per*  
*pat. l. 5. Orationem fufam ad Deum. Ideoque*  
*lib. 12. cuius inculcat Ecclesiasticus, Sta: quia*  
hic strenuum oportet imitari militem, nec ferre, ut immisſis Diaboli distractionibus, tædijs, turbationibusque stationem surpiter nos cogant deferere. *Sta in sorte proſpositionis, & orationis Altissimi Dei.*

XVIII. Interea perſuadete vobis, paucis hisce verbis omnia hæcque à me allata bene orandi præcepta comprehendere. Considerate, si Altissimus est, cujus gratiam imploratis, indecentissimum esse, in conspectu ejus peccatis foedatos comparere, nec prius demississimam ex intimo corde veniam petiisse. *Ante Orationem prepara ani-*  
*18. 23. mam tuam.* Atque hæc, secundum omnes, est præparatio maximè necessaria, ab omni peccati nævo cor expiare. Quod si Altissimus est, non desinet ab eo res petere, hoc est,

terrena, temporalia, & multò minùs tantæ Majestatis honori contraria, sed verè digna Deo postulanda sunt. *Qua Colof. 3. sursum sunt, querite, qua sursum sunt, 1. sapere, non qua super terram.* Quod si Altissimus est, viva in eo spes & fiducia ponenda est, credendumque omnia illum posse, omnes illi nostras patere necessitates, omniaque opera illi nostra bona nota esse, neque aliam à tam magnifico Deitatis Throno illi provenire utilitatem, quàm benevolis nos mortales oculis intueri. *In altis habitat, & humilia respicit.* Quod *Pf. 112. si altissimus est, quid convenientius est, quàm omni humilitate, patientiâ, & perseverantiâ illum invocare? Si quis sibi videatur repollam passus, non ideo ægrè ferre oportet, nec enim qui asperum erga se magni Principis & difficilem sensit animum, vel minima indignationis edit signa, sed genu flexus misericordiam implorat. Oratione humiliantis se nebu penetrabit, & Eccl. non discedet, donec Altissimus aspiciat. 35. 26.* Quid ergo ampliùs dubitatis? *Sta in sorte proſpositionis, & Orationis altissimi.* Quas vobis quotidie proposuistis perſolvere preces, ob levem quandamque causam non omitteatis, sciens illas Deo sum opere placere. Certè magna res est, quòd ad divinam nobis operam suam præstandam aliud ipse nihil desideret, quàm ut eandem ab ipso flagitemus. *Clama ad me, & exaudiam seg. 33. 3.* Profectò sui ipsius hostis esset, qui potius æternum perire vellet, quàm labia sua ad precandum aperire.